



Universitätsbibliothek Paderborn

Opvs De Ivdiciis Divinis, Qvae Devs In Hoc Mvndo Exercet

Accessit index concionatorius in omnes totius anni dies Dominicos & Festos, ab ipso Auctore confectus

Stengel, Georg

Ingolstadii, 1651

Ad Lectorem.

urn:nbn:de:hbz:466:1-45653

CL INDEX CAPITVM ET PARAGRAPHORVM.

- | | | |
|---|--|--|
| <i>Cur malis multis bonam, & multis bo-</i> | <i>nis malam Deus permittat obuenire</i> | <i>dignoscantur, quia in judicio extre-</i> |
| <i>sepulturam?</i> | <i>736.</i> | <i>mo dignoscentur.</i> |
| <i>§ 1. Mirabile discrimen piorum & im-</i> | | <i>8. Sanctos non sentire, si cadavera eo-</i> |
| <i>piorum defunctorum.</i> | | <i>rum male tractentur, quæ ipsi viua</i> |
| <i>2. Cur saepe pessimi honestis sepulturis</i> | | <i>mortificârunt, immo tormentis ty-</i> |
| <i>decorentur?</i> | | <i>rrannorum obiecerunt.</i> |
| <i>3. Nocere magis sacras sepulturas im-</i> | | <i>9. Sanctos quosdam sponte abjectum,</i> |
| <i>pijs, quam prodeesse.</i> | | <i>& vile sepulchrum optauisse, sed tan-</i> |
| <i>4. Posita in sacris locis impiorum cada-</i> | | <i>tò nobilius acquisiuisse.</i> |
| <i>uera, cù ignominia inde eiecta.</i> | | <i>10. Sordide sepultos quosdam Sanctos,</i> |
| <i>5. Eiecti hoc pacto Valentini exemplū</i> | | <i>vt tantò lètiùs honestiusq; anima</i> |
| <i>è D. Gregorio.</i> | | <i>eorū postea viderent se sepeliri.</i> |
| <i>6. Alij è templo defuncti cum ignomi-</i> | | <i>11. Male initio quosdam dinos sepultos</i> |
| <i>nia & miraculo extracti.</i> | | <i>esse, vt alijs præberetur occasio, eos</i> |
| <i>7. Malis bonam, bonis malam contin-</i> | | <i>honoratiū sepeliendi.</i> |
| <i>gere sepulturam, vt in hac vita non</i> | | <i>12. Beatitudini Sanctorum nihil office-</i> |
| | | <i>re, si corpora eorum male, vel etiam</i> |
| | | <i>nusquam sepellantur.</i> |

AD LECTOREM.

S. Augustin.
lib. 3. Con-
fess. cap. 9.

Tetullian.
lib. de Pallio.
c. 4. n. 84.

*Q*uod verè ac sapienter à D. Augustino ad Mundum gubernatorem Deum dictum est: Multa facta, quæ hominibus improbanda viderentur, testimonio tuo approbata sunt: & multa laudata ab hominibus, te teste damnantur, id quidē omni saculo, atq; ab omni mortaliū genere meritò semper fuisset expendendū, & ut Tertullianus loquitur, acie fingenendum: habendū tamen est in mente potissimum, hac misera atate, qua aries iste in nos maximè temperatur, ut judicium nostrum quassetur, sive in improbandis ijs, que à Deo approbantur, sive in landandis, quæ diuino calculo damnantur. Neg, in hominū dumtaxat factis censendis homines hallucinantur, sed etiam quando de ipsis Numinis sapientissima prouidentia, & justissima bonitate cogitant, gradu se excludi patiuntur, & de calo in cænum cadunt. Dum enim vel judicio suo nimirū fidunt, vel impatientiā excavantur, vel à vento quoque se sinunt impelli, inter scopulos & sinus, inter vada & freta nauigantes exitium inueniunt, quod quarunt. His lineas certas producemus, Sapientiam,

pientiam, Bonitatem, Iustitiam Dei, quas virtutes quisquis, in
 omni negotio atq; casu humano, discet agnoscere, nec improba-
 bit approbata, nec damnanda laudabit, quia judicium feret
 ad diuinam amissim accommodatum. Ab hac autem regula
 qui abit, hoc est, qui vult plus sapere quam Deus, peponem cor-
 dis loco habet, judiciumq; judicio suo meretur; quamvis etiam
 bona mente malam sententiam pronuntiet. Exemplo sit Da-
 niel Anachoreta. Hic, longo tempore, nouerat Eulogium quem-
 dam, opificio unum ex illis, qui in latomys lapidarijs, inter
 pulueres, durissimo labore, victum colunt. Exiguahuic erat
 fortuna, sed magna erga Deum pietas; quae eum impulit, ut
 etiam in pauperibus honoraret Dominum & Creatorem paupe-
 rum, quibus quanto ipse egentior, tanto se se exhibuit munifi-
 centiorem. Quidquid enim sudore suo comparatum sibi decer-
 pere, genioq; suo, vel cibi, vel peculij, subtrahere quinuit, id omne
 ad egenos voluit pertinere, cum quibus lucellum commune ha-
 buit. Et quamquam in omnes, maximè tamen in Danielen-
 Anachoretam fuit liberalis. Quid de hoc viro, tantoq; suo be-
 nefactore simplex eremiti cultor, gratitudinis memore animo,
 aliud cogitasset, quam ut judicaret, eum, qui tam exiguae opes
 adeò benè pieq; dispensarat, longè adhuc, si ad ditionem fortu-
 nam venisset, fore liberaliorem, maioraq; præstitum? Itaque
 eius insigni pietate permotus, Deum obnoxie precatus est, uti
 Eulogium faceret opulentiorum, diuityjsq; augeret. Nouerat
 Deus hominis simplicitatem, simulq; mentem illius bonam per-
 fexit. Quare unum de caelestibus Genijs ad eum misit, qui ei
 indicaret, non conducere Eulogio opulescere, multos enim, nisi
 in diuityjs essent, de salute sua fore securiores. Daniel, quem
 non nisi optima de Eulogio sentire docuerat beneficentia, quia
 putabat, certum se esse, eum, qui in tenui fortuna adeò in paupe-
 res profusus erat, liberalissimum fore, si opib; abundaret, impru-
 denti zelo, se vadē pro animo eius dedit, sed suo malo. Ut enim
 intelli-

Henric. En-
gelgrae.
Dom. 2. post
Pascha.

Ha 55. 9.

intelligeret, sicut exaltantur cæli à terra, sic exaltatas esse vias Domini, à vijs hominum, & cogitationes Dei à cogitationibus mortalium, repente Eulogius ex pauperrimo diues factus est: nam thesaurum reperit, & cum eo irritamenta vi torum. Itaq; copiosus factus, relicta calicurâ, cœpit genio indulgere, ac vita se dare licentiori, quin & in aulam Iustiniani Imp. penetrare, & velut aureis alis, per honorū gradus ad summa euolare, adeò ut Dux exercitus crearetur. Ibi apparuit, quā fallax ad virtutem subsidium sive opes atq; dignitates. Quippe Eulogius, è sobrio in ebriosum, è casto in scortatorem, è patre pauperum, in templorum spoliatorem commutatus est. Hac metamorphosi facta, Daniel anachoreta, obses, intempesta nocte, ab Angelo stipulatore, ad tribunal Dei citatus, ubi Eulogius talem in prostibulo, ante oculos suos constitutū vidiit, obstupuit, ingemuit, voce & fletu imprudentiam culpamq; suam deprecatus, & detestatus est, factumq; suum ac preces priores contrarīs precibus retractauit, ex animo professus, se stulte supra diuinā prouidentiā sapere voluisse. His ita gestis, Hyppatius & Pompeius Imperij principes in Imperatorem conspirauerunt, quibus se adiunxit Eulogius: sed, seditione excitata, captoq; Hyppatio, omnibus fortunis exutus, fugā sibi consuluit. Quid tutius se conferret profugus, quam ad veterem casam & lapicidinam? ibi & latuit, & prisinos labores ac paupertatem amplexus, non solum pœnitentiam egit, sed etiam perspicue docuit, diuinam gubernationē nullius hominis judicio esse temerandam. Quod ipsum etiam nos, his quatuor Tractatibus docere conamur, ut sua quisq; sorte contentus vivat; nec Naturam, aut Naturae Authorēm accuset, si non claris natalibus, vel membris integris sit natus; si in uxorem malam, si in egestatem, si in ignominiam, si in morbos, aut alium casum inoptatum incidat; existimetq;, melius secum actum iri, si condicionem & fortunam de cælo ob tineret meliorem. Quid cuiq; maximè prospicit, aut conueniat, optimè nouit, qui est optimus.